

non prohibet quin lumen ab opaco nitido reflexum, ab ullo eorum inter se confusione in opposito conspiciatur. Sed in hac luminum diversorum cognatione, illa non minus sunt admiranda. Quod inter languidiora lumina, si quod sit vivacius, tale etiam visitur. Et quod minus fulget, nequaquam inter vivaciora, aut cernitur, aut sui dat sensum. Ita enim est a natura constitutum, ut luminis maioris præsentia minus quod est veneratione veluti quadam, se se oculit quidem, ac fit invisile, non tamen extinguitur, aut quicquam patitur. Sed et ipsum suam speciem procreat, quantacumque esse queat, tametsi in simili maiore non cernatur. Nam sicuti flammula, in maiore lumine quasi absorbetur, ita lumen minus absorberi videtur in maiore. Idque ideo quia ab utroque illuminatus aer, novi nihil patitur a minore. Imo vero similis accessione, rationi est consonum, ipsum augeri, et perfici quamvis lumen maius, id offuscet quod est minus. Cui rei fidem facit, quod plura lumina magnitudine flammularum, unde veniunt differentia, maiorem efficiunt candorem; multiplices nimirum inter se, vel reflexionem, vel coagmentationem. Præter hæc, lumen natura sua refrangitur a diaphanorum quoque corporum superficie; ut aquæ placidæ, glaciei, crystalli, vini, si eas oblique feriat: partim inquam refrangitur, partim quoque ea penetrat. Si vero feriat ad perpendicularum, penetrat tantummodo. Si vero duo diversa diaphana hoc modo feriat, et sint illa alterum alteri superposita, prius quidem permeat, a secundo vero refrangitur, non aliter, ac fiat in speculo, cuius partem perspicuam penetrat: ab opaca vero ei subtensa refrangitur, et resilit, et alio relucet. Et relucetia secundum vocari potest lumen. Ab hac iterum si refulgeat, lumen tertium, et deinceps alia, si refulgere adhuc pergat, donec refractionibus pluribus debilitetur ita, ut tandem elanguet, et lumen fiat minimum. Dum vero lumen est eodem momento, multas facit reflexiones. Neque tamen per eas deserit ibi esse, unde eas facit. Et dum facit, in qualibet aeris particula, vel minima, multiplices format rerum imagines, corporeas et incorporeas, quale ipsum est. Dum lumen refrangitur, refractum debilius est integro, validius vero refracto secundo, et hoc tertio, et sic usque ad ultimum deinceps. Sin autem opacum feriat, aspera et scabra superficie, in plurimas sui frangitur particulas, quæ plerumque non discernuntur, nisi diutius resiliant, et sui multiplicatione, se se conglomerando, veluti densentur. Quod æstate e parietibus ac tegulis domorum palam conspicitur. In hac ab opaco refractione, si colorem vividum ibi feriat, secum quasi convolutum avehit: et avehendo ostentat, donec in plures simul superficies refulgendo, elanguescant. Et dum simul sunt lumen et color, si in diaphana incidant simul, ea penetrant, et distincta ibi visuntur. Idem lumen si sit vehemens, colores minus vivos obscurat, et reddit invisiles. In ea colorum avectione, et vvectione, non aer per quem lumen trasit, et colores defert, sed ipsummet lumen videtur colorari. Nam si aer coloraretur, obiecta non opposita et ubique et undecumque cernerentur, sed minime cernuntur nisi recta sint opposita. Ergo non aer undequaque fusus, sed lumen iis coloribus quos vehit intingitur. Neque vero colores solos, lumen coloratum secum defert, verum defert etiam colorem, et vires suas occultas quasdam et admirabiles. Quæ tum diaphana, tum opaca omnia penetrantes, opera edunt mirabilia, virtutes quasdam speciales admirandas in corpora inferendo, et infundendo. Est enim lumen virtutum coelestium vehiculum, et vinculum universi, superi et inferi. Quam rem Plato clarissime est testatus, quando in hanc sententiam scripsit.

“Per universum cœlum ac terram extensum lumen, veluti columnam, iridi similem sed putiorem. Quod lumen cœli, est ligamentum, et universæ circulationis. Cuius ligamenti extrema usque ad terram sunt extensa.”

Neque hoc sine magna dixit ratione. Lumen enim, quod elementis infunditur, cœlestis luminis est imago. Lumen autem cœleste, est cœli risus quidam, et animarum cœlestium actus, et energia, et ut Hermes, et Dionysius loquuntur, earum ἀκτίνας et radii. Lumina autem cœlestium animarum, a luce sunt intellectuali. Intellectuale autem lumen ab intelligibili luce emicat. Hæc autem lux, ab ipso fonte ac patre luminum, quæ per omnia effunditur efficacissima. Sed de his postea, sicuti et de tepore, luminis perpetuo comite; cum quo lumen